B. N. C
FIRENZE
1072
21



1072.21

1072. 21

Digitized by Google

1042

Digitized by Google

S. D. N.

GREGORII XV.

Summi Rom. Pont.

EPISTOLA AD PERSArum Regem Sciahabbahas.

à

IOANNE CIAMPOlo Secr. eius perscripta.

ET IN EAM

DANIELIS HEGALSONI
Anglo-Britanni.

PIÆ ANNOTATIONES
nunc primum luci datæ.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872
FIRENZE



ANNO
M. DC. XXVII.

POTENTISSIMO PRINCIPI

SCIAHABBAHAS PERSARVM REGI ILLVSTRI.

Potentiſſime Perſarum Rex ſalutem, & lumen Diuinæ gratiæ.

VEtus Græcorum ſapientia vſq; adeò per ſe contempſit genus humanum, vt cæteras totius Orbis nationes Barbaras appellaret, tantiſque honoribus ciuium ſuorum extulit ingenia, vt temerè mentiretur, ab ipſo cælo petitum eſſe è Græca Inſula adoleſcentem, qui Solis rector foret, & dierum parens. Ita tamen Perſarum, quorum arma 1. *formidauit, admirata* 2. *eſt virtutes vt, qui* 3. *perpetuis litterarum monumentis perfecti Regis exemplar deſcribere voluit, non alio, quàm in Perſidem oculos adiecerit: atq; inde ex Regiis* 4. *ædibus in famæ lucem Cyrum produxerit; à quo exteræ nationes, & poſteritas vniuer-*

ſa veras regnandi artes ediſcerent. Verùm, cùm maxima hæc olim fuerint iſtius gentis 5. *decora; non minores tamen triumphos Perſicis virtutibus decreuit Romanæ Eccleſiæ Fides. Non paucos enim in iſtis regionibus genitos, qui* 6. *Chriſto Sacramento dixerunt, templis, ariſq;* 7. *coluit, ac Sanctorum Conciliis inſeruit, quos cœli ciues, ac domeſticos Dei, cunctis terrarum Principatibus præeſſe credimus. Hinc ſemper inclyta fuit in Orbe Chriſtiano Perſici nominis gloria: tùm opinio quædam per noſtrorum populorum animos peruaſit, intercedere tacitum quoddam Perſis cũ Chriſtianis, velut* 8. *amicitiæ fœdus, iſtarumq; Prouinciarum Reges rebus noſtris beneuolenter* 9. *fauere. Eam verò opinationem mirificè augent, qui è Perſide in Italiam Religioſi Sacerdotes redeunt. Iſthìc enim, aiunt, iuſtitiæ vim dominari; hoſpitij ius coli; nec ſolùm ex militiæ laboribus, ſed etiam ex litterarum ſtudiis gloriam quæri: Regalis verò ſolij firmiſſima propugnacula æquitatem haberi,* 10. *ac clementiam. Nihil ergò mirum, ſi beneuola quadam animorum propenſione triumphos veſtros ſua ſolatia eſſe putat Chriſtiana Reſpubli-*

publica 11. vniuersa. Nos quidem, cùm ad Pontificatum Romanum miserentis 12. Dei Bonitas euexit, cùm fælicitas virtutum, & hominum salus potestatis nostræ gloria esse debeat, 13. assiduis precibus orare cœpimus Patrem misericordiarum, vt paternam charitatem nostram Celsitudinis tuæ prosperitate consolaretur. At enim, posteà quàm tantum terrarum inter iacentium emensus ad Nos Legatus tuus peruenit, Regiasque litteras reddidit, quibus & beneuolentiam Nobis tuam significabas, & offerebas amicitiam: cùm tantò Regi non ingratas fore Pontificias sollicitudines, cognosceremus; decreuimus, in posterum par esse, Celsitudinis tuæ gloriam ad præcipuas nostras curas pertinere. Quamobrem, cùm istùc mentem nostram Regij nominis 14. gloria, & nobilissimi Regni amplitudo, non rarò aduocet, vt tibi alicui 15. vsui esse possimus, potentiæ tuæ vim, ac publici amoris causas diligenter perpendimus. Intelligimus verò, duas potissimùm esse res, quæ tibi tantam Christianarum gentium 16. beneuolentiam conciliant, Rex potentissime; odium 17. scilicet Turcarum, & Hispani Regis 18. amicitiam.

çitiam. Duo enim Principes, 19. *tributorum copia, & nationum* 20. *famulatu,* 21. *formidoloſi, dum* 22. *inuicem deuincimini amoris* 23. *vinculis generi humano ſalutaribus,* 24. *Orientem, Occidentemq; videmini potentiæ veſtræ magnitudine coniungere, & communem hoſtem poteſtis in Septentrionis latibula detrudere. Deus ergò fœderum arbiter, ac teſtis, in* 25. *cuius manu corda Regum ſunt, accuratiſſimè orandus eſt, nè vllæ vnquam ſimultates* 26. *dirimant amicitiam hanc quæ* 27. *vtrumq; terrarum Orbem commerciorum viciſſitudine conciliat. Cùm ergo illius conſeruatio populorum noſtrorum votum ſit, & Diuinæ clementiæ beneficium, facilè conijcere poteſt Celſitudo tua, quàm* 28. *inuitis omnium auribus acceptus ſit nuncius ille, qui Luſitanos à Perſis oppugnatos, arcemq; Ormutianam à tuo milite captam nuper ſignificauit. Certè, qui vtrique veſtrum excidium cupit, & meditatur Turcarum tyrannus, non poteſt opportuniore ſolatio leuare miſerias illas, quibus Bizantinum Imperium hac tempeſtate diſcerpitur. Videt enim, quod ſibi ruinæ periculum impenderet, ſi ei, domeſticis*

ſedi-

ſeditionibus laboranti, bellum inferret Perſici Regis potentia; non ſuis ſolùm viribus, quæ maximæ ſunt, nixa, ſed 29. *auxiliarijs etiam fœderatorum Hiſpanorum opibus communita. Quare, Nos, quibus vtriuſq;* 30. *veſtrum fælicitas cordi eſt, vocem in tanto* 31. *rerum diſcrimine cohibere non poſſumus.* 32. *Oceani clamor, &* 33. *nauigantium querelæ non ſinunt Nos in horridæ tempeſtatis formidine conquieſcere. Ne ergò Nobis, ea pericula proſpicientibus, vecors vnquàm ſilentium exprobretur, Celſitudinem tuam alloqui decreuimus, vt eam ſaltem, quam poſſumus, opem præſentibus* 34. *malis attuliſſe videamur. Ormutium, cùm in ipſius* 35. *Perſici ſinus faucibus hoſpitalem portum nauigantibus hactenùs patefecerit, ſi Luſitanis eripiatur, maximis quidem commoditatibus orbabit* 36. *Europam; at Regnis tuis afferet vtilitatis non ità multum. Eâ* 37. *enim arce, dùm Hiſpani Regis amicitiam coles, vti poteris perindè, ac tua; ipſiq; milites Hiſpani, ibi commorantes finium tuorum cuſtodes, & dignitatis tuæ* 38. *defenſores erunt. Cæterùm, ſi propugnaculum illud, vi ereptum, per iniuriam*

10772.21

1072. a

- 1078 -

Digitized by Google

Digitized by Google

S. D. N.

GREGORII XV.

Summi Rom. Pont.

EPISTOLA AD PERSArum Regem Sciahabbahas.

à

IOANNE CIAMPOlo Secr. eius perſcripta.

ET IN EAM

DANIELIS HEGALSONI
Anglo-Britanni.

PIÆ ANNOTATIONES
nunc primum luci datæ.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872
FIRENZE



ANNO
M. DC. XXVII.

POTENTISSIMO PRINCIPI

SCIAHABBAHAS PERSARVM REGI ILLVSTRI.

Potentiſſime Perſarum Rex ſalutem, & lumen Diuinæ gratiæ.

VEtus Græcorum ſapientia vſq; adeò per ſe contempſit genus humanum, vt cæteras totius Orbis nationes Barbaras appellaret, tantiſque honoribus ciuium ſuorum extulit ingenia, vt temerè mentiretur, ab ipſo cælo petitum eſſe è Græca Inſula adoleſcentem, qui Solis rector foret, & dierum parens. Ita tamen Perſarum, quorum arma 1. *formidauit, admirata* 2. *eſt virtutes vt, qui* 3. *perpetuis litterarum monumentis perfecti Regis exemplar deſcribere voluit, non alio, quàm in Perſidem oculos adiecerit: atq; inde ex Regiis* 4. *ædibus in famæ lucem Cyrum produxerit; à quo exteræ nationes, & poſteritas vniuer-*

ſa veras regnandi artes ediſcerent. Verùm, cùm maxima hæc olim fuerint iſtius gentis 5. *decora; non minores tamen triumphos Perſicis virtutibus decreuit Romanæ Eccleſiæ Fides. Non paucos enim in iſtis regionibus genitos, qui* 6. *Chriſto Sacramento dixerunt, templis, ariſq;* 7. *coluit, ac Sanctorum Conciliis inſeruit, quos cœli ciues, ac domeſticos Dei, cunctis terrarum Principatibus præeſſe credimus. Hinc ſemper inclyta fuit in Orbe Chriſtiano Perſici nominis gloria: tùm opinio quædam per noſtrorum populorum animos peruaſit, intercedere tacitum quoddam Perſis cũ Chriſtianis, velut* 8. *amicitiæ fœdus, iſtarumq; Prouinciarum Reges rebus noſtris beneuolenter* 9. *fauere. Eam verò opinationem mirificè augent, qui è Perſide in Italiam Religioſi Sacerdotes redeunt. Iſthìc enim, aiunt, iuſtitiæ vim dominari; hoſpitij ius coli; nec ſolùm ex militiæ laboribus, ſed etiam ex litterarum ſtudiis gloriam quæri: Regalis verò ſolij firmiſſima propugnacula æquitatem haberi,* 10. *ac clementiam. Nihil ergò mirum, ſi beneuola quadam animorum propenſione triumphos veſtros ſua ſolatia eſſe putat Chriſtiana Reſpubli-*

publica 11. vniuerſa. Nos quidem, cùm ad Pontificatum Romanum miſerentis 12. Dei Bonitas euexit, cùm fælicitas virtutum, & hominum ſalus poteſtatis noſtræ gloria eſſe debeat, 13. aſſiduis precibus orare cœpimus Patrem miſericordiarum, vt paternam charitatem noſtram Celſitudinis tuæ proſperitate conſolaretur. At enim, poſteà quàm tantum terrarum inter iacentium emenſus ad Nos Legatus tuus peruenit, Regiaſque litteras reddidit, quibus & beneuolentiam Nobis tuam ſignificabas, & offerebas amicitiam: cùm tantò Regi non ingratas fore Pontificias ſollicitudines, cognoſceremus; decreuimus, in poſterum par eſſe, Celſitudinis tuæ gloriam ad præcipuas noſtras curas pertinere. Quamobrem, cùm iſtùc mentem noſtram Regij nominis 14. gloria, & nobiliſſimi Regni amplitudo, non rarò aduocet, vt tibi alicui 15. vſui eſſe poſſimus, potentiæ tuæ vim, ac publici amoris cauſſas diligenter perpendimus. Intelligimus verò, duas potiſſimùm eſſe res, quæ tibi tantam Chriſtianarum gentium 16. beneuolentiam conciliant, Rex potentiſſime; odium 17. ſcilicet Turcarum, & Hiſpani Regis 18. ami-

citiam. Duo enim Principes, 19. tributorum copia, & nationum 20. famulatu, 21. formidolosi, dum 22. inuicem deuincimini amoris 23. vinculis generi humano salutaribus, 24. Orientem, Occidentemq; videmini potentiæ vestræ magnitudine coniungere, & communem hostem potestis in Septentrionis latibula detrudere. Deus ergò fœderum arbiter, ac testis, in 25. cuius manu corda Regum sunt, accuratissimè orandus est, nè vllæ vnquam simultates 26. dirimant amicitiam hanc quæ 27. vtrumq; terrarum Orbem commerciorum vicissitudine conciliat. Cùm ergo illius conseruatio populorum nostrorum votum sit, & Diuinæ clementiæ beneficium, facilè conijcere potest Celsitudo tua, quàm 28. inuitis omnium auribus acceptus sit nuncius ille, qui Lusitanos à Persis oppugnatos, arcemq; Ormutianam à tuo milite captam nuper significauit. Certè, qui vtrique vestrum excidium cupit, & meditatur Turcarum tyrannus, non potest opportuniore solatio leuare miserias illas, quibus Bizantinum Imperium hac tempestate discerpitur. Videt enim, quod sibi ruinæ periculum impenderet, si ei, domesticis

ſeditionibus laboranti, bellum inferret Perſici Regis potentia; non ſuis ſolùm viribus, quæ maximæ ſunt, nixa, ſed 29. auxiliarijs etiam fœderatorum Hiſpanorum opibus communita. Quare, Nos, quibus vtriuſq; 30. veſtrum fælicitas cordi eſt, vocem in tanto 31. rerum diſcrimine cohibere non poſſumus. 32. Oceani clamor, & 33. nauigantium querelæ non ſinunt Nos in horridæ tempeſtatis formidine conquieſcere. Ne ergò Nobis, ea pericula proſpicientibus, vecors vnquàm ſilentium exprobretur, Celſitudinem tuam alloqui decreuimus, vt eam ſaltem, quam poſſumus, opem præſentibus 34. malis attuliſſe videamur. Ormutium, cùm in ipſius 35. Perſici ſinus faucibus hoſpitalem portum nauigantibus hactenùs patefecerit, ſi Luſitanis eripiatur, maximis quidem commoditatibus orbabit 36. Europam; at Regnis tuis afferet vtilitatis non ità multum. Eâ 37. enim arce, dùm Hiſpani Regis amicitiam coles, vti poteris perindè, ac tua; ipſiq; milites Hiſpani, ibi commorantes finium tuorum cuſtodes, & dignitatis tuæ 38. defenſores erunt. Cæterùm, ſi propugnaculum illud, vi ereptum, per iniuriam

iuriam 39. *tenueris, potentissimum Regem tibi ex amico* 40. *inimicum reddes, ac magna stipendiorum vi, quibus ibi præsidiarium militem* 41. *alere cogeris, fortissime nationis inimicitias, & nauigantiũ* 42. *omnium odia redimes. Denique, non tantum tibi adiunxeris emolumenti, quantum publicæ beneuolentiæ dempseris; quæ quidem, etiam quando sterilis est, habetur glorioſa & verè Principum thesaurus dicitur. Præcipuas enim eorum diuitias, non tàm auri, atq; argenti talenta, quàm mundi amorem, & populorum studia esse, Cyrus ille vester in Græcis Historiis testatur. Audi, potentissime Rex, preces totius Christianæ Reipublicæ; qua quidem ijsdem vocibus, quibus Celsitudinis tuæ triumphos, & virtutes prædicat, â te obnixè flagitat, vt Persicæ magnanimitatis, ac justitiæ memor, eam arcem Hispano Regi* 43. *restituas, nec nauigationi, post hominum memoriam, celeberrimæ viam hoc tempore occludas.* 44. *Deinde hoc inimicis tuis solatium, qui sperant ad Ormutium recuperandum contra milites tuos instrui posse eorum populorum arma qui incogniti* 45. *Oceanũ* 46. *arcana generi humano aperue-*

ruerunt ; & Hemiſphærium vtrumq; potuere 47. *victoriarum ſuarum* 48. *curſu metiri. Nos certè, vix dici poteſt, quantum cupiamus, Luſitanos, Perſici nominis amantiſſimos, nunquam adduci ad eam* 49. *miſerrimam neceſſitatem, vt cogantur experiri, an armorum vi, & ſanguinis profuſione eum portum recuperare valeant, quem maiores eorum publicæ terrarum, ac maris commoditati muniuerunt. Poteſt magnanimitas Celſitudinis tuæ Europam vniuerſam, & Pontificem Romanum Perſico Regno* 50. *arctiſſimè in præſentia deuincire. Nos certè daturi operam ſumus, vt nationes omnes Orientales intelligant, Regnorum iſtorum ſtabilimenta fulciri, dùm tanto beneficio Chriſtianum Orbem* 51. *obligabis. Id autem, vt teſtemur luculentiùs, allegamus iſtùc dilectum filium Franciſcum Coſtam, virum Nobis charum, rei Perſicæ peritum; atque ob id, vt ſperamus, gratum Celſitudini tuæ. Ei ergò ſententiam noſtram hac in re vberiùs declaranti, eandem, quam Nobis ipſis fidem habere poteris. Intereà, Nos Deum* 52. *rogabimus, qui pacem mirabiliter operatur in ſublimibus ſuis, vt quàm celerrimè*

diſſenſiones hæ reconciliatione concordiæ, non militum internecione dijudicentur. Celſitudini verò tuæ, à qua ſolatium hoc Chriſtianæ nationes expectant, tanti beneficij debitorem 53. *delegare* 54. *poſſumus ipſum Dominantium* 55. *Dominum, qui, cùm diues ſit in miſericordia, eiuſmodi conſilium illuſtri aliqua felicitate remunerabitur. Ab eo autem gemitibus inenarrabilibus Romana Eccleſia* 56. *petet, vt pedes Celſitudinis tuæ dirigat in viam ſalutis, quæ tantum Regem poſt diuturnam præſentis vitæ gloriam ad Regnum deducat beatitudinis ſempiternæ.*

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die X. Iunij 1623. *Pontificatus noſtri anno tertio, &c.*

Ioannes Ciampolus Secr.

DANIE-

DANIELIS HEGALSONI ANGLO-BRITANI PIÆ Annotationes in litteras Gregorij XV. Pont. Romani Regi Persarum.

A Ioanne Ciampolo eius Secretario scriptas.

AMeffræni licentia è diuinarum legum finibus nostro sæculo Romana Curia quandoq; excurrit, ut interdum admiratione consternar, cum homines obmutescant, cautes, & stipites ipsos altissimum non edere clamorem, & ululatu, & eiulatu ad antiquæ Pietatis limites excurrentem non repellere. Diu ego, nec pœnitet, tacui. Sed tandem mihi silentium abrupit epistola, quæ Gregorij XV. Pont. nomine à Io: Ciampolo conscripta circumfertur. Quid enim illa seu rem, seu verba dispicias, simile reperias eis, quæ à melioris æui Pontificibus scribi solebant? Hîc, dictu lamentabile,

bile, Christianæ Religionis velo laruata fraus orbem perambulat, & ad Principum & Regum corda laus ventilat, hîc Catholicæ, & Apostolicæ fidei speciem prostitutam Ciampolus propalat, vt Hispanicæ Dominationis libidini ancilletur. Quibus porrò verborum lenocinijs Persam inflectere studet? Quibus cincinnis intorquet; quibus pigmentis linit orationem? Longe aberrasti à scopo Ciampole? In Rostris, si fert animus, & in Lycæis facundiæ tuæ sinus pande, fimbrias explica, carbasa prætende. Christus Deus, cuius loco Romanum Pont. in terris agere fateris, ambitiosæ Regum cupiditati non est vnquam blanditus. Nuda illi veritas placet: non calamistratum, non fucatum sermonem amat. Nullus est in Aulæ Romanæ rebus adeo peregrinus, qui non facilè coniectura assequatur, te munerum Hispanorum, Ciampole, sitientem, & Hispanico ambitu ad Purpuræ dignitatem attolli inhiantem, huius epistolæ machinas concinnare. Sed vtinam tui lapsus pœnam justus judex in te vnum retorsisset, & non illa in nos uniuersos, populum innocuum, & lemmatum vestrorum inscium, latissimè redundasset. At pro dolor!

Deli-

Delirant Reges, plectuntur Achiui.

Auaritia vestra, Romanenses, vestra, Romanenses Ambitio, quarum vos famuli ad vnius Hispani nutum famulamini, Catholicos omnes per totum terrarum orbem dispersos impetit, exagitat, calamitatibus, & aerumnis acerbissimis afficit. Dum vos Romæ scriptitatis: dum per atria volitantes dicteria jactitatis: dum absentibus insidias paratis: dum Pontificis auribus insusurrare, obstrepere, obgannire non cessatis, nos harum artium verbarum vitro

Diuersa exilia, & diuersas quærere terras
Cogimur.

Nam cum Reges, qui jugo vestro colla subtraxerunt, animaduertant, vos, qui Catholicæ fidei columen, & cardines vocamini, pessima quæq; illis struere, pessima quæq; illis intentare, in nos, qui propiores sumus, vt in aliquam vestri corporis partem oculos defigunt, & aiunt nos sophysmatum vestrorum veneno imbutos, nullam fidelitatis rationem habituros, quam ipsis iurauimus: nec Regno, nec capiti satis consultum esse edicunt; nisi nos solum vertamus. Sic irarum æstum, quem aliorum

nequeunt, in nos, quippe Romani capitis membra, exonerant. Miserrimos nos, qui, culpa vestra, Regibus, quorum nos dominio statura subiectos fecit, offensi sumus, & patrocinio vestro neutiquam fruimur. Petulantia vestra, & animorum vestrorum morbis Reges ingenio mites, & humanos, damno nostro, in excandescentiam, & sæuitiem impellit. Quid Regina Elisabetha nostra lenius, prius quam vos, perpetuis illam conuitijs vellicando, & Charites cæli, terræq; omnes in Hispanum hostem congerendo, concitassetis? Ecquid nunc opus erat, Ciampole, huius inani Epistolæ tuæ conatu Britanos, & Batauos in pernitiem nostram irritare. Quid aliud est actum dum tu cupiditatem tuam ab eis ad Hispanos Indicæ mercaturæ commertium traijciendi exudas; quàm patefactum studium, quo Pontifex incalescere ibi videtur, non animarum incolumitatem nationibus illis comparare, sed rem familiarem sed Politicum dominatum, sed corpora, sed gentem exundere. Si tunc Vrbanus VIII. qui tibi tum politioris litteraturæ laudem præripit, tum prudentia quam maxime antecellit, ad Ecclesiæ gubernacula consedisset, non illi,

illi, forsam, ut Gregorio, imposuisses. Nos interea nostrorum Principum odio, quod tu, tuiq; similes accenderunt, iactati, Maris Balthici littora legere, & à laribus patriis semoti luctuosam vitam degere compellimur. Vt vero te tuus error, Ciampoli, non inflet, ut non te nimium Phylautia turgidum reddat, ut arrepto semel itinere non pergas, ut formam apte scribendi addiscas, veterum Pontificum ad Reges epistolas euolue, dum ego tuam leui brachio carptim perstringo, iusti doloris stimulis, & Ecclesiæ amore, non contemptu, ita incitatus, ut cum D. Chrysostomo loqui possim. Hæc non rerum nostrarum euulgandarum, & traducendarum studio à me dicta sunt, sed ut vobis pudorem incutiam, atq; vos hinc auertam. *Ad rem igitur:*

1. *Pura puta assentatio. Illá ne Græcia formidauit Persarum arma, è qua trecenti numero milites, duce Leonida, ter centum Persarum millia inuadere sunt ausi.*

2. *A Græcorum testimonio, quos inani gloriolæ velificantes, & temere mentientes asserit, Persarum laudes orditur. Hanc quidem oratoris artem non calleo.*

3. *Xeno-*

3. *Xenophon Græcus Perſarum muneribus irretitus, dum Cirum extollit, non eſt tota Græcia, eo modo, quo nec Io. Ciampolus Italus, dum Regis exteri rebus ſcriptione inſeruit, tota Italia dici poteſt.*

4. *Xenophon ex Regiis ædibus in famæ lumen Cirum produxit: Ergo, dempta Xenophontis Hiſtoria, Cirus in tenebris cæcutiuiſſet. Quæ porrò eſt iſta laus, quam Perſarum Regibus affingere elaboras, ô Ciampole, ſi virtute propria, nec ex Aulæ quidem tabernaculis in lucem per famam prodire queant?*

5. *Nimium benemerendi ſtudium nimis præcipitem agit orationem tuam ad Eccleſiam, ô Ciampole, Ecquinam enim de Perſarum Regibus hactenus decora recenſuiſti? dedecora quidem, quæ ſi ex animo; Prævaricatorem auſim dicere.*

6. *Anne tibi, Ciampole, videtur hæc Perſiæ laus propria? Ecquenam ſunt Regiones, in quibus nati non pauci ſint, quos Eccleſia in Diuorum ordinem retulit? Imo quid Regnum eſt amplitudine par, vbi Chriſti nomen peruaſerit, quid Sanctorum multitudine Perſiam non ſuperet? Si Regibus ab hoc laudes promanant, nullius Conſtan-*

ſtantinopolitano Imperatori eſt comparandus, quandoquidem in regionibus ei ſubiectis, non mille tantum Sanctorum millia ſpiritum hunc primo vitalem hauſerunt, ſed ipſe Sanctorum omnium Parens, & Auctor Chriſtus. At procul hæ nugæ! nihil enim cum Sanctorum virorum venerabili dignitate ad Ethnicos populos, Principésue.

7. *Hoc ita Ciampolus exprimit, ut Perſarum Regi inſinuare videatur; Maxima ipſum obligatione Pontifici teneri, eo quod olim Eccleſia Perſas aliquos Diuorum conciliis inſeruerit, ac ſi fuiſſet id ambitu, & humano officio factum, non pio cultus Diuini ſtudio. Tene, Ciampoleita recentiorum temporum mores capiunt, vt priſcorum obliuiſcaris. Ne quæſo, vir eruditiſſime, vetuſtum antiquioris Eccleſiæ ritum nouellis commentationibus pollue. Inſuper ſi Sciahabbahas tam ſuæ legis eſt tenax, quam te eſſe tuæ ratio poſtulat, non amicis certe auribus accipiet eos ab Eccleſia Catholica inter Chriſti milites coli, quos ipſe, vt nos Apoſtatas; execratur. Nec hunc igitur colligendæ benuolentiæ modum edidici.*

8. *Sic aliqui modo in Germania perſonati Catholici Lutheranis palpum obtrudunt, vt ſuos eos in partes trahant, & in Caluiniſ'as exacuant. Amicitiæ fœdus Ciampoli? Et illud hîc tu laudas? commendas? verbis exornas? O epiſtolam in omne tempus Romanis Pontificibus exemplo obiiciendam! I nunc, conde leges, ab Hæreticorum conſuetudine, qui tamen Chriſtum Deum agnoſcunt, & Tryados miſterium fatentur, abſtinendum; dum amicitiæ fœdus cum gentibus illis ſanciendum cenſeas, quæ Chriſti in gremium expuunt, & à ſanctiſſimis noſtræ Fidei documentis, religione multo magis, quam terrarum, & maris interuallo diſſident. An tibi jam cogitanti non occurſant Pontificum conſtitutiones, quæ nos ab infidelium contactu, ne labem ebibamus dicuntur cohiberi? Siccine tu illas, quas cum è re tua eſt, in alios iaculari ſoles, prorſus obliuioni demandaſti? Non tibi Apoſtoli verba modo mentem excutiunt.* In viam gentium nolite abire, *id eſt animo, & affectu cum ipſis nolite conſentire. O quam ſatius foret, tanta virtutis, & honoris eminentia virum ſemper eſſe eundem, etiamſi Hiſpanien-*

nienſi patrocinio eſſet dicendum vale. Tacitum amicitiæ fœdus, Ciampoli, nobis cum Perſis? Quid eſt hoc tacitum? nempe verbis non expreſſum; nec vſu mutuæ neceſſitudinis conflatum. At hoc eſt longè peſſimum: non enim indicat quidquam, quod culpam abſtergat. Opinio per noſtrorum populorum animos peruaſit, intercedetur Chriſtianis cum Perſis amicitiæ fœdus. Meliorem tibi Deus immittat mentem, Ciampoli, qui tam turpem notam Chriſtianis hominibus, immerentibus; inuris: namq; alienum eſt à vero, Chriſtianis, qui re, non tantum vocabulo Chriſtiani ſint, tacitum amicitiæ fœdus cum Perſis intercedere. Si tibi non alio colore beneuolentiam aucupari in mentem venit, ſi tu forſam, qui aureum gentis externæ vitulum, vel arietem adorare conſueſti, hoc laboras vitio.

Parcius iſta viris tu obiicienda memento.

Egone cum hominibus, nefaria Mahometiſmi lue tabidis, me tacito amicitiæ fœdere coniunctum profitebor? Liceat Regibus aliquid ſibi ab infidelibus parare; ſed quæ tua eſt dicendi libertas, Ciampoli, per pulorum noſtrorum animos, *inquis,*

opinionem peruasisse, tacitum fœdus amicitiæ Christianis cum Persis intercedere. *Illud verbum*, Tacitum, *te iugulat. Genium enim ipsum Christianorum impij sceleris accusas.*

9. *Quis te Persarum Regum in hanc sententiam pellexit, Ciampole? Cosdrane! an quispiam alius hoc genus, qui rebus nostris beneuolenter fauerit?*

10. *Luderis, aut ludis Ciampole? Fratricidium hactenus Persarum Reges alterum fundamentorum, quibus Regale innititur solium, esse existimarunt; alterum Religionis cum Politico Imperio, unione indissolubili permixtam, & ideo qui Rex est, idem etiam summi Sacerdotij ius habet; quoniam gemino vinculo populorum animi facilius, quoquo lubet, inflectuntur. Fratricidium tibi Clementiam videri certe non autumo. Si vero Iustitiam esse existimas, Reges Ciuili sceptro sacrorum Imperium annectere, quare id in Principibus Christianis tantopere improbas, oppugnas, conuellis, vt ne quidem eos Politicæ rerum Ecclesiasticarum directioni præesse assentiarit, & si Deus ipse illis præfecit, est omnis piorum seculorum ætas in huius autoritatis*

tis eminentia eosdem conspexerit.

11. *Splendida fabella. Non enim vniuersa Christiana Respub. triumphos istos amat. Mentis acie percurre Galliam, Germaniam, Italiam, populosq; multos offendes Christi Sacramento imbutos, quibus non vsq; adeo res Persarum secundæ arridēt. Tuam, tuam Hispaniam, Ciampole, si ad intima penetrabis, agnoscēs eam non admodum lætari, quod nationis illius potentia confirmetur, quæ Ormutium tenet, & Goæ, finitimisq; Regnis imminet. At si Christiana Resp. vniuersa nihil aliud est, quàm solus Ciampolus, ut Xenophontem solum vniuersam Græciam esse feciſti, tuis dictis non abnuo.*

12. *Huiusmodi verborum formulis, quæ nil, nisi modestiam, & charitatem redolent, Pontifices aliqui sensim, & gradatim progressi, supra Regum, & Cæsarum collapedem imposuerunt, & nunc ididem, vt supremis terrarum, & cæli quoque versus dominatoribus, sibi licere gloriantur. Et eā manu, qua quondam, Diadematii imposito, vti supplices sacrorum ministri, Regibus inseruiebant, se regnandi ius dedisse,*

& nunc etiam à se dandum esse conclamant.

13. *Pontificem, inquis,* assiduis precibus, *vt prosperitatem Persis indulgeret Deum orasse. Non mirum igitur, si dum pro alienorum armorum victoria, precibus assiduis Deum fatigabat, ipsa Pontificis arma non semper belle rem gesserunt. Sed hîc te, Ciampole, interpello. Licetne Pontifici pro Mahometani alicuius prosperitate Deum orare? De animarum salute non ambigo, sed de Regni, & corporum prosperitate verba facere patet luce meridiana clarius.*

14. *Hominis Regij gloria, & nobilissimi Regni amplitudo mentem Pontificis in Persiam aduocat, non animarum cura. De ea enim nec verbum. At Pontifici imprimis animarum onus incumbit, cui dictum est.* Pasce oues meas, *animas nimirum Diuino Sacramentorum cibo.*

15. *Non Regi Pontifex Christiani dogmatis remedium prætendit, sed illud offert, quod ei alicui vsui esse possit: in Regno nempe propagando, & in triumphis adipiscendis; de his namq; agitur. Non indignor, Ciampoli, Mahometano Regi Pontificem*

ficem opitulari; ſed cum ſibi hoc licere exiſtimet, indignor, quod tanto oris hyatu in alios intonet, non eis licere ab vllis auxilium accipere, nec ab eis quidem, qui Chriſti nomen, legemq; profitentur, ſi non etiam Pontificis profiteantur.

16. *Peruenisti, Ciampole, quò animus intendebat. Eia ergo aduocate Hiſpanice rem Domini age. Pileolus rubeculus, muriceus, flammiuomus, argenti trahens, Regiquiparans, cum Mulula gradipeda, phaleratula, ſacrifera, Iſigera, venuſtula, blandula, cermoniscitula te merces manet inclyta.*

17. *Ne ſeuito animis, Ciampole, veh Turcis, ſi te inimicum habent; Tamerlanum mallent. Sed mihi, te per omnes Perſarum tuorum Deos, Deasq; oro, dic tu, qui Turcas odio plus quam Vatiniano proſequeris, qua nam de cauſa Pontifex, vti Pontifex, vti enim talis has litteras ſcribere dicitur, quanam, inquam, de cauſa Pontifex Turcas oderit, Perſas diligat? ſi rationem unicam affers, qua Perſæ ſint Turcis meliores, manus do; Religionem intueris: & hi, & illi pari ſunt infecti macula: niſi quod Turcæ ſuis omnibus in prouin-*

tijs,& vrbibus Christum templis, & aris coli æquo animo patiuntur; sepulchro vim nullam inferunt: ipsum vt Prophetam venerantur. Mores animaduertis. Maior, procul dubio, glisçit inter Persas Barbaries. Sed his non inhæreo. Vnum illud dico, Pontifices retro temporum non tantopere à Turcis abhorruisse. Sextus quidem Alexander, ne Turcico in Imperio turbæ orirẽtur, nunquam ab aula Romana Gemmen Imperatoris fratrem, & illi infensum dimisit, nisi ita compositum, vt turbas excitare nequiret; idemq; cum eodem Imperatore muneribus, & officiis certare non est dedignatus. Quid Iulium secundum memorem qui Turcarum alas aliquot, non tantum suis in castris recepit, aluit, fouit, & eis in peruicaces est vsus, sed etiam proprij lateris assiduos custodes, & certos ante ambulones effecit. At tu de Persis huiusmodi non mihi fidei, & beneuolentiæ obsequia reperies.

18. *Christianæ gentes, quibus potentia, & mores Hispanorum negotium facessunt, certe Persarum Regem non amant, eo quod Hispanis sit amicus. Odêre potius, vt amicum inimici odisse natura docet; Quare Hi-*

spano-

ſpanorum amicitia ſi qua eſſet, maleuolentiam in orbe Chriſtiano longe maiorem, quàm beneuolentiam Regi Perſarum conflaret; niſi forſam arbitratur Ciampolus, nullos eſſe Chriſtianos, niſi qui Hiſpani ſint.

19. *Nihil verius, Ciampole, de Hiſpano dixiſti. Nullus enim eſt Princeps, qui maiori* tributorum copia *ſubiectas gentes opprimat, frangat, atterat. Et hîc Marchionis Boſſij nuperam ad Regem legationem, ab Italicis prelis ad nos vſq; euibratam, in qua Mediolanenſium quærimoniæ, ſibi vix animam amplius ſupereſſe, ingemiſcunt, tibi legendam trado; & Neapolitanum Traiani Boccalini Romani tui equum, quem Hiſpana nouacula non ſolummodo tondit, ſed pœnitus deglutit tibi macilentum, oſſeum, cruentum in arenam deduco; miſerandum vniuerſis, ne dum Italis, ſpectaculum.*

20. *De Hiſpano recte ais, Hiſpanus enim cum populis ſubiectis agit, uti cum famulis agere moris fuit; imò cum ſeruis; imo cum mancipiis. Namq; non niſi flexis genibus, & thure concremato ad illum preces*

ſuas eiulare poſſunt nationes. At ex hac adoratione quid tandem ferunt, niſi ut nemo rerum ſuarum ſit vnquam Dominus, quæ militibus, quæ togato Regis ſatellitio diſcerpendæ, & dilacerandæ exponantur.

21. *Id eſt, cum formidine doloſi. Hoc etiam rectè, nec ineleganter, ſi magis latinam, & magis vſurpatam,* Formidoloſi, *ſignificationem amplectamur.*

22. *Tam facili negotio hîc tu, Ciampole, Hiſpanos cum Perſis in familiaritatem artiſſimam, & fraternam gratiam cogis, vt non Granatinorum, & Maurorum Mahometiſmus Hiſpanorum caſulis obrepere, ſed ipſo Mahometiſmo Perſico vtriq; populi copulari videantur.*

23. *Quam bene lupus, & agnus, tam bene Chriſtianus Rex, & Mahometanus ſub eodem iugo ducat aratrum. Mirandum erit hoc vinculum, quod Euangelium, & Alcoranum connectet, ſi generi humano euadet ſalutare. Sed miracula, quæ vaticinaris expectamus.*

24. *Quid iſthoc eſt monſtri, Ciampole? quod tibi hoc in vniuerſum humanum genus erupit è calamo votum, ſi tam dirum, & horrendum nec in ipſos quidem Roma-*

nos

nos Asdrubal concipisset? Ominari videris, Ciampole, si fœdus hi duo Reges feriant, eos vniuersi Orientis & Occidentis, totius terrarum orbis dominium adepturos; ex qua regionum portentosa amplitudine latibula tantum septentrionis excipis, in quæ communis hostis detrudatur. Sed quis est, amabo te, communis iste hostis? Certe si Reges hinc Hispanorum, inde Persarum Orientem, & Occidentem occupaturos, auguraris, communis hostis ille est intelligendus, qui nec Hispanorum, nec Persarum seruitium ferre volet. Cuncta ergo Hispanis, Persisq; tenentibus, quid cæteris Regibus, & nationibus erit? quo Bataui, quo se tot Germaniæ populi, quo se Angli coniicient? Et, vt de Catholicis loquar, qui Pontifici præcipue cordi esse debent, quo se illi recipient? Cæsar quidem ab Hispano, quippe consanguineo, angulum aliquem citra septentrionis glaciem obtinebit. Sed Christianissimo Gallorum Regi, sed augustissimæ Venetorum Reip. sed inuictissimo, post hominum memoriam Sabaudiæ Duci, de quibus Hispanus, & Persa non nisi oretenus bene sentiunt, quid fiet? vbi locorum latitabunt? Etiamne Galli, quibus Ro. Ponti-

fex

fex ciuile omne, quodcunq; habet Imperium, acceptum referre debet, in ſeptentrionis ſpeluncas, ac ſi Ioui flammas furati eſſent, ablegabuntur? Etiamne Veneti, quorum Leo Vrſam Erymanthidos, nauigantium periculo terreat, & loco moueat? Etiamne Allobrogum Princeps, cuius immenſus animus, & prope Diuina virtus amplioribus indiget limitibus, quàm Famæ ſtrepitus, quàm ſolis curſus, quàm humana cogitatio. Pontifici autem de quo dictum eſt; Erit vnus paſtor, & vnum ouile, *cum Hiſpanus, & Perſa, Ciampolo bene ominante, cuncta poſſederint, quæ habebitur reuerentia? Sacrorum Hiſpanorum cuſtos euadet: Ben' eſt. Sed puto communis iſte hoſtis ad ſeptentrionis latibula non feſtinabit, niſi prius rogaueris Danum, & Suecum, & ſi ius etiam Moſcum, ut, quo feruntur in Hiſpanos tuos amore, pauliſper loco cedant, tampridem enim latibula ea omnia oppleuere.*

25. *Accipio fauorabilia, (addo & vera) cæteris non conſentiens. At Santarellus, Petra ſcandali, tenet Regum corda primò eſſe in manu Pont. & ab hoc tantum in manu Dei.*

26. *Eſto, eſto: Hoc ſempiternum vi-*

geat.

geat. Sed quandoquidem hanc Catholici Regis cum Mahometano amicitiam tanto-pere hic approbas, vt etiam pro eius conſer-uatione Deus orandus ſit, caue, ne cuiquam Chriſtianorum Principum in poſterum ex-probres, ſi quis pariter cum non Chriſtianis populis amicitiam inibit. Quod enim quisq; ius in alium ſtatuit, eo iure vti de-bet, & è conuerſo.

27. Democritizare etiam lubet. Cir-cumſpiciendum tantum, ne Archimedes horum orbium alteri pedem inferat; nam-que indignatus ſæculi mores alterum ſub-uerteret, cum dicas enim duos eſſe terra-rum orbes, alterum ab altero ſeiunctum eſſe neceſſe eſt.

28. Cantilena in palinodiam hic quo-dammodo videtur deflecti.

29. Fœderatorum Hiſpanorum Memor eſto, Ciampole, ad æui venturi cauſas.

30. Aeque profecto digni ſunt. Quid blandius, quid amabilius, quid magis mel-litum efferri poteſt? vel ſi duo hi Reges Co-lumbuli duo Dionei eſſent, qui, deosculatio-nib. interpoſitis ad eundē digitū pipillarēt.

31. Tantum ego rerum diſcrimen non video; cum ſuperius dixeris, Bizantinum Imperium hac tempeſtate domeſticis ſedi-tionibus diſcerpi.

32. O-

32. *Oceani clamor, non ad Ciampolum, ſed ad Neptunum Saturni attinet, quandoquidem in Poetarum meſſem eſt inuadendum; cui.*

Imperium Pelagi, ſæuiq; Tridentis ſorte datum.

33. *Nauigantium eorum querelæ, qui commerciorum neceſſitudine, vt ais, curſum inſtituunt, ad Reges, nauium nauigantiumq; dominos pertinent, non ad Pontificem; niſi forte illum ab animarum cura ad mercimoniorum tædium aſportare velis. Lutheranorum, Ciampole, & Caluinianorum querelæ Pontificem quieſcere non ſinant. Hæ namq; obſtrepunt; hæ Romanenſem iuriſdictionem intra anguſtiſſimi cancelli ſepta in dies vſq; magis coarctant: hæ ſunt formidandæ. Has demulcere, ſedare, compeſcere charitatis, ſanctimoniæ, doctrinæ remedio, vt omnes Chriſto vniantur, Pontificij muneris eſt; non Indicæ mercaturæ curam gerere.*

34. *Mala vltra Garamanthas, & Indos, quibus opem feramus, veſtiganda non ſunt, vt eis, quæ maxima debaccantur in Anglia, in Gallia, in Germania non vlla adhibeatur medicina.*

35. *Ormu-*

35. *Ormutium in ſinu Perſico eſſe memoras, & tu, quæ tua tui eſt fiducia, Regem Perſicum hortari non erubeſcis, vt illud è Perſici Regni diademate diuellat, & Hiſpanico inſerat. Non ne ipſa Perſici ſinus enunciatio te ab inſtituto auocare, & adhortationem tibi ab animo debuit deturbare?*

36. *Non bene arguis, Ciampole; Quid ad Regem penitus Aſiaticum de commodis, aut incommodis Europæ? quam ſitus, & natura inimicam ſemper Aſiæ fecit? Sed ſi veritati, etiam manus eſt admouenda, tu pariter à veritate recedis: quandoquidem Bataui, & Angli in Europam ea omnia ab Ormutio, & Indis inuehunt, quæ Luſitani poterant, & id frequentiore mercium contractu, duabus nationibus in vnius locum ſuffectis.*

37. *Fluidum eſt hoc argumentum. Sibi enim ipſi reſponſionẽ maxime opportunam è re nata parit. Nam quis Perſam redarguat, ſi eandem erga Hiſpanum præſeferens animi propenſionem, reſpondeat. Fruſtra fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora: Arcem propterea à ſe rectè gubernari; quoniam illa, dum Hiſpanus Rex amici-*

tiam

tiam noſtram colet vti poterit perinde ac ſua.

38. *Iam Columbuli ſegregantur. Quam male interdum, Ciampoli, tibi ipſi conſtas? Perſarum Regem, quem modo potentiſſimum prædicaras, nunc exteris defenſoribus ad Regnum, & dignitatem tuendam egenum facis.*

39. *Superius dixeras in Perſia Iuſtitiam dominari; ius coli, æquitatem eſſe propugnaculum Regij ſolij, nunc Regem iniurioſum, & violentum perhibes. Sed rogo te, Ciampole, edoce me, quodnam ius in arce Ormutiana maius habeat Hiſpanus, quàm Perſa; & quæſtionem diſcute, cui cedat iure ædificium, ſi quis quandoq; per vim, dolumue, malamue fidem in alieno ſolo extruit.*

40. *Sperandum eſt, eos qui in ſeptentrionis latibula adigendi erant, adhuc paululum tepidioris ſolis aura fruituros. Non enim oportebat in tantam fidentiam, & tumorem Perſam attollere, ſi cupiebas, Ciampole, ut illi minæ tuæ ad cordis latebras aditum inuenirent.*

41. *Dummodo ex omnibus Topicis locis Ciampolus argumenta conglomeret, &*

ſe bel-

se bellum Rhetorem ostentet; nescio, an multum illi curæ sit, vt ea sint ad rem, & orationis decoro accommodata. Persarum Regi, vt arcem Ormutianam dimittat, conatu ex eo persuadere, quod præsidiarium ibi militem alere Regi grauis erit sumptus. Quid ad tanti ponderis negotium potest magis infantile adduci? Quod minimis Regulis, quod paruulis satrapis onus non esset molestum, id potentissimi Regis ærarium, penumueita deprimet, ut exteræ genti, non Religioni, non moribus affini, non quæ fidem non fallere dicatur, Regni sui propugnacula concedat?

42. *Non bene rationes subducis, Ciampole, dum dicis,* Omnium; *Nec tanti est beneuolentia tuorum, vt tam care ematur; non enim Persis sterilitate solummodo infœlix gigneret Lollium, sed vbertate Aconitum, & Cicutam.*

43. *Huc à principio tota collimabat oratio. Regum Hispanorum exemplar ede; vt nil alieni possident; vt cuiq; suum reddere sunt parati; caueto tu, ne dum super his verba conuolis Ecclesiæ jura abroges. Tuus ideo sermo ad Neapolis oras non appellat.*

44. *Pulcherrima sane ratio solatium*

inimicis adimendi. Si Persarum Rex fugitiuum esset animal, quale Castorem dicunt, quod canes instarent, vrgerentque, tua hæc admonitio, Ciampole, forsam non esset abs re. Satius est enim sibi testiculos dilaniare, quam capite plecti. Sed ille huiusmodi est, vt nec latratus, nec dentes Hispanorum sibi vel minimum timendos cogitet.

45. *Quos incognitus Oceanus è penetralibus suis secretioribus arcere non potuit, obstupesco, quonam armorum genere Italus Eridanus illos è qualibet sua* Verruca *propulsare norit.*

46. *Ferendum, & efferendum hoc esset: nisi etiam Pontificiarum electionum arcanis se se obtruderent, & humano generi, sacra prophanis nefarie permiscendo, & in templo columbas vendendo, & emendo ad Orcum viam aperirent.*

47. *Efferata potius immanitate, rapacitateq; si Chiappensi Ep. fidem habemus.*

48. *At hi nuper ob præcipitem fugæ suæ cursum, Sabaudo prementi, Badi ripas metiri non potuerunt.*

49. *Indecore, Ciampole, tuis his militibus glorioſis miserrimam necessitatem, & dubium Martis euentum associas. Nam*

qui

qui Oceani arcana aperuerunt, & utrunq; Hemiſpherium victoriarum curſu metiti ſunt, eis è diſcordi cæmento murus inepte conglutinatus, aut agger è glebis editus iter, nec momento quidem, obſepiet.

50. *Si Regi, qui Mahometti ſacris eſt initiatus, qui ab ipſo Mahometi ſanguine ducit genus, qui Mammorum ſacrificulus ipſemet inſeruit, ſi Regi inquam, qui ſacrilego ritu Dæmoniorum principi Sathanæ famulatur, Ro. Pontifex* arctiſſime de-uinciendus eſt, *Deus faſſo veniam dato, nuncium illi remittere ſollicitor.*

51. *Toties in hunc lapidem impegiſti, Ciampole, vt mihi ſtomachum moueas. Itane Phyltris male affectum tibi cerebrum effingit, nil aliud eſſe Chriſtianum orbem, quàm Regem Hiſpanum, vel ad ſummum, Auſtriacam Domum, extra cuius obedientiam, ſi quis exiſtat, is extra Chriſtiani orbis fines exiſtat. Nimium Tropis, in primis Synecdoche, & Hyperbole tua Poeſis, Ciampole, delectatur.*

52. *Mittat Perſas Pontifex, ô Ciampole; dum Chriſtiani orbis Principes inter ſe colluctantur, & digladiantur. Deum pro illis roget, qui eum ad tantæ maieſtatis, ex-*

terna etiam, faſtigium euexerunt; qui eum ibi tuentur; qui ſuis è Regnis, & Prouinciis illum quot annis ingentem auri, & argenti vim eximere per ſummam patientiam ſinunt; qui demum ei propriis in ædibus, & propriis in thalamis auctoritatem, apud omnes aliorum Regum Annales inauditam, impartiuntur.

53. *Si Perſarum Rex per iniuriam, vt aſſeueraſti, Ormutium retinet; iuris igitur non pietatis impulſu reſtituet. Non eſt igitur quod quicquam illi propterea debeatur. Quare mirum quantum miror, Ciampole, quod tibi non ſit pudori, nulla legitima præexiſtente actione Mahometo Chriſtum tam ex facili debitorem conſtituere.*

54. *Verbum hoc nimis eſt jactabundum, Ciampole, & quod Ethnico Regi riſum ita moueat, ut te ſuperbiæ grauiter arguat, ne fatuitatis dicam.*

55. *Quod inter alios actum eſt, tertio non præiudicat. Quapropter vehementer animi pendeo, an ſuperi ex hoc alienum cum ſummo Mahometiſmi Pontifice, cum homine impuro, cum fratricidij legislatore conflare non vereantur. Et immane*

ne quantum ambigo an tanta Ro. Pontifex ſit autoritate, ut Deum etiam inuitum compellat ſe ſe peſſimo Diaboli mancipio debitorem facere. Inuitum dixi; nam ſi Deus Ormutianum Caſtrum in Hiſpanorum manu perſiſtere voluiſſet, nunquam illud ei arripuiſſent Perſæ.

56. *Studione perperam agis Ciampole? an nos vſq; adeo ſtupidos exiſtimas, vt te præpoſtere agentem nõ agnoſcamus? Quod diuinis legibus, & ſanctorum præceptis vetitum eſt; quod vix vllo vnquam tempore, quod vix ſub vlla conditione poteſt à Deo Pontifex rogare; infidelibus nempe rerum externarum proſperitatem, id omnem Eccleſiam à Deo rogaſſe, rogare, & rogaturam pro Regis Perſarum vtilitate, Ciampolus pollicetur. Quod autem Eccleſia ſemper, & abſq; conditione vlla tenetur à Deo rogare, ſalutem ſcilicet animarum, etiam infidelium, id Ciampolus Regi minatur Eccleſiam pro ipſo rogaturam non eſſe, niſi Ormutium Hiſpanis reddat. Non inquit* petiit, *non* petit, *ſed* petet. *At hoc petere, & jampridem petiiſſe oportuit, ô Ciampole, & preces illas omiſiſſe, quas pro Perſicarum rerum ſecundo euentu effuſas*

esse iactitas. Et hæc in epistolæ excursiones satis.

Inter curarũ molestias triduo, antemeridianas horas subfuratus hæc ad te, Ciampole, exaraui. Si meorum librorum in gremio otiũ nactus fuissem, solidius, fortassis, & perennius ære monumentũ exegissem. Sed breuissimi temporis alienæ domus hospes, nec vnius quidem libri ope suffultus hæc raptim absolui. Quod optime nouit Deus, qui rem menti, qui nostro verba stylo afflauit; ne tam impium facinus, in quod incidisti, Ciampole, imperitorum hominum commendatione elatum pernitiem in Ecclesia exemplo trahat. Si quidquam tale in posterum ederis, tibi mecum rursus erit agendum; & hoc toties quoties. Quod si aliquando eò loci me repereris, vt certamen, æqua minerua, possim inire, tunc minime abnuam ferre iudicium, vter nostrum melius canat. Si vincar, Marsyas sim. Caue autem existimes Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ odio, Deus id auertat semper, me quidquam moliri. Tam enim Catholicus sum, & profiteor, quam te, & Pontificum ipsum, quem semper honoris causa nomino, & nominatum contendo, esse decet. Sed Catholichismus noster ab auro fluentis Tagi liuorem non ducit, nec Hispanicorũ munerum spe tabescit. Zelus, Zelus Domini comedit me. Et Ecclesiastici nominis colore in Ecclesiæ statum, dignitatem, commodũ irrui, si tacitus patior, indignatur. Licuit semper homini priuato quempiam alium siue dicto, siue scripto corripere, & ipsum etiam Pontificem, cum notorie Ecclesiam Dei conuellit. Quid autem agi potest fœdius, quam Pon-

tificem

tificem Romanum, Christiani orbis caput, sacrorum immemorem, tot aliorum Regum, & Principum oblitum rebus vnius Hispani inseruire, vnum fouere, vnius pedes lambere, &, quod horrendum cogitatu est, se se etiam ad Persarum Regis, hoc est ad Mahometani Pontificis solium prosternere, & precibus effusis ad illius aram vouere, vt Hispani vnius gratia ineatur. Crede mihi, Ciampole, & hoc ad vniuersum terrarum orbem inclamo, quod nil magis perdit Ecclesiam, siue salutem animarum, siue Regnum eius Politicum spectas, quam immodicus Pontificum fauor Hispano commodatus, locatus, venditus. Liquet enim ex Historiis, ex quo immodicus iste fauor se se in aulam Romanam exercuit, obsequium à nationibus solitum Ecclesiæ exhiberi semper defluxisse, & retro lapsum recessisse. Immodicus iste fauor, procul dubio Angliam, & Scotiam, Bone Deus quæ Regna, ab Ecclesia abscidit. Fauor iste potentißimos Germaniæ Principes, Respublica ab Ecclesia discerpsit. Galliam, Galliam ipsam ab Ecclesia penitus iste fauor auulserat, & ni Clementis VIII. prudentia paulo illum contraxisset, in formidabili illa auulsione adhuc persisteret. Fauor demum iste immodicus, ni ad cæterorum numeros exigatur, & æquetur, tot populos alios, & Principes certo certius ab Ro. Ecclesia seiunget, vt in peccati pœnam aliquando passurus sit Deus, eam solis Hispanis constare, Ecclesiam solummodo in speciem, intus vero aliud quidpiam. Donec illi deniq; formam ipse meliorem inducat, & proborum virorum pietate conseruet. Cum Pontifex

vni-

vniuersorum Christianorum sit Pater, æquali Principes omnes affectu excipere tenetur. Quod si quis interdum paterna præcepta, quæ nostrorum animorum est infirmitas, effringat, non protinus succensere, sed diutissime cum eo mitius agere, ut efferuescentem ad meliorem frugẽ tempore deducat. Setius si faciat, iustus dolor transuersos deterius agit. Id quod etiam in filiis eodem semine genitis contingere videmus. Si vero Politicum Ecclesiæ dominatum perpendis, quam maxime est illi damnorum eius Regis potentia in dies augeri; à quo, si moderatior ei vis foret, pulcherrimum ipsa Ecclesia Regnum acciperet; quemadmodum ab imbecillioribus Principibus accepit multa, quæ ab eis non peiore tenebantur iure, quam modo Rex Neapolim teneat: Dicendum est ergò, Pontifices, qui fauore immodico Hispanorum efferunt, eos non animarum salutem, nec Ecclesiæ commodum, sed peculiarem quæstum; sed domesticarum rerum incrementum, sed propriæ suæ familiæ decus, sed Nepotum splendorem sibi ob oculos in Diuinorum administratione, constituere. Vale, vale, Ciampole; nam si per ea, quæ in hanc, & in illam sententiam suppetunt, progrederer, dies me scribentem deficeret. Pius quisq; quæ supprimo animo euoluat, & bene velit, & bene valeat. Vale tertiò

Ciampole.

FINIS.

95880

Digitized by Google


MC